DIE ZEHN GEDICHTE

DES

WALTHER VON LILLE,

GENANNT VON CHÂTILLON.

NACH DER PARISER HANDSCHRIFT BERICHTIGT UND ZUM ERSTEN MALE VOLLSTÄNDIG HERAUSGEGEBEN

VON

Dr. W. MÜLDENER.

HANNOVER.
CARL RÜMPLER.

1859.

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/diezehngedichted00walt

DIE ZEHN GEDICHTE

DES

WALTHER VON LILLE,

GENANNT VON CHÂTILLON.

NACH DER PARISER HANDSCHRIFT BERICHTIGT UND ZUM ERSTEN MALE VOLLSTÄNDIG HERAUSGEGEBEN

VON

Dr. W. MÜLDENER.

HANNOVER.
CARL RÜMPLER.

1859.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
59 QUEEN'S PARK CRESCENT E.
TORONTO 5, CANADA.

OCT 22 1932

5230

MEINEM THEUREN VATER

W. A. F. MÜLDENER,

PREDIGER ZU ROTTLEBEN,

ZU DER FEIER SEINES

FUNFZIGJÄHRIGEN JUBILÄUMS

IN KINDLICHER LIEBE

GEWIDMET.

Nur wenige Worte schicke ich dieser Ausgabe der unter dem Namen des *Gualtherus de Insula* in der Pariser Handschrift N. 8359 aufbewahrten zehn Gedichte voraus. Als ich vor fast fünf Jahren meine Dissertation über das Leben dieses Mannes schrieb, kannte ich dieselben fast nur dem Namen nach, und so war es mindestens verzeihlich, wenn ich in manchen Punkten gegen Herrn Giesebrecht polemisirte, dem sie gewiss alle vorlagen, als er seinen Aufsatz „Die Vaganten oder Goliarden und ihre Lieder“ in der Allgemeinen Monatsschrift für Wissenschaft und Literatur Jahrgang 1853 S. 10 ff. und S. 344 ff. bekannt machte. Seitdem ich dieselben aber selbst genauer prüfen konnte, habe ich meine frühere Ansicht ganz geändert, und halte jetzt unsern Walther für den Verfasser nicht nur dieser, sondern auch noch vieler anderer uns anonym überlieferten s. g. Goliardenlieder. Durch dieses Geständniss, welches ich hier weiter auszuführen leider augenblicklich nicht im Stande bin — ich werde an einem andern Orte näher darauf eingehen — fällt natürlich fast Alles weg, was ich in meiner Dissertation S. 18 ff. zu beweisen suchte.

Ueber meine Ausgabe selbst hier nur so viel. Um dieselbe nicht mit einer Unzahl von Varianten, wenigstens bei den schon früher herausgegebenen Gedichten, zu beschweren, gebe ich blos den von mir nach der Pariser, unstreitig besten, Handschrift an nicht wenig Stellen, wie

PA
8310
.G27
A2
1859

ich glaube, berichtigten Text, den ich mit der Ausgabe von Wright, *the Latin poems commonly attributed to Walter Mapes. London, Camden Society 1841.* 4. collationirte (N. 4, 6, 8); N. 9. publicirte derselbe in seinen *Anecdota literaria. London 1844.* 8. zum Theil entsetzlich corrumpirt; bei N. 1. und 3. folgte ich hauptsächlich der Ausgabe von Edélestand du Méril, *Poésies populaires latines du moyen âge. Paris 1847.* 8. Alle übrigen gebe ich nach einer in Paris mir besorgten Abschrift; in wie weit diese zuverlässig ist, weiss ich nicht, jedenfalls aber zweifle ich an ihrer durchgängigen Richtigkeit. Sei es nun, dass der Text in den Ausgaben wie in den Handschriften wirklich an mehreren Punkten bis zur Unverständlichkeit corrumpirt ist, oder dass der Fehler nur in der Abschrift liegt, ich bekenne offen einige Stellen nicht ganz zu verstehen. So viel aber scheint mir gewiss, dass die Pariser Handschrift den Text in relativ bester Form enthält; dieser wenigstens verdanke ich, ausser einigen eignen Conjecturen, fast alle neuen Lesarten. Zu der *Apocalypsis Goliae* fand ich noch zwei von Wright nicht benutzte Quellen, nämlich *Eccard Corp. hist. med. aevi II. p. 1851* und eine Papierhandschrift des 15. Jahrhunderts auf hiesiger Bibliothek. Die mit * bezeichneten Verse scheinen mir unächt und späterer Zusatz zu sein; sie fehlen wenigstens in der Pariser und häufig auch in der Göttinger Handschrift, zum Theil auch in Wright's Quellen.

Göttingen, den 24. October 1858.

M.

I.

De statibus mundi.

[Wright p. 152; Du Méril p. 155.]

Missus sum in vineam circa horam nonam;
suam quisque nititur vendere personam;
ergo quia cursitant omnes ad coronam:
semper ego auditor tantum, numquamne reponam?
Quando cibus deficit animabus brutis,
mugiendo postulant cibum, spem salutis;
sed est mihi resonans vocibus argutis
fistula disparibus septem compacta cicutis.
Festis bacchanalibus interesse minimus
volo, quia nequeo magnus, maior, maximus;
derogare vitiis omnibus est animus,
et nos ergo manum ferulae subduximus.
Cum videam reprobos opibus nitescere,
dominari vitia, virtutes succumbere,
vilipendi feminas, viros ante nubere,
difficile nobis est satiram non scribere.
Spargat ergo primitus sua Clio iacula
in illos, quos operit pastoralis infula;

---

4 Juvenal. Sat. I, 1.

8 Virg. Ecl. I, 36.

12 Juven. I, 15.

16 Juven. I, 30.

nam ab illis omnibus — quid irem per singula —
defluxit in subditos vitiorum macula.
Ecce sponsi comites vendunt sponsae dotes;
furantur in cacabo carnem sacerdotes;
si spectes medullitus, si rem bene notes,
Christum vendunt hodie novi Scariotes.
Jam prorsus aboluit usus largiendi
praebendas, altaria quae non debent vendi;
versa est in habitum cupido tenendi;
tempore crevit amor qui nunc est summus habendi.
Studet praesul pretiis, et archilevita
vivit solitarius, coenat eremita;
morerentur utinam hi qui vivunt ita!
Felices obeunt quorum sine crimine vita.
Vis decanus fieri, praesul, patriarcha?
Auri multa tibi sit vel argenti marca;
tantum habet fidei, teste manu parca,
quantum quisque sua nummorum servat in arca.
In quo mundi climate, sub quo coeli signo
est abbas aut pontifex, pectore benigno
dignus Christi nuptiis, dignus vitae ligno?
Rara avis in terris nigroque simillima cygno.
Ut Judaeis odio sunt carnes suillae,
sic in his extinctae sunt virtutum scintillae;
hic vacat libidini, nummo servit ille:
credite me vobis folium recitare Sibyllae.

---

28 Ovid. Fast. I, 195.

36 Juven. III, 143.

40 Juven. VI, 165.

44 Juven. VIII, 126.

Omnes avaritia mentibus imbutis
in nummo constituunt spem suae salutis;
volunt dici prodigi rebus dissolutis:
fallit enim vitium specie virtutis.
A praelatis defluunt vitiorum rivi,
et tamen pauperibus irascuntur divi;
impletur versiculus illius lascivi:
quidquid delirant reges plectuntur Achivi.
Parochiam contrahit lege matrimonii
sacerdos a praesule, si nummi sint medii;
nam si nummus deficit et tumor marsupii,
dabit ei pontifex libellum repudii.
Vos ergo cum talia, praesules, agatis,
de futurae gaudio vitae desperatis,
illudque Lucanicum mente pertractatis:
Tolle moras, semper nocuit differe paratis.
Quanto plus possidet, quanto plus ditescit,
tanto magis locuples sitit et ardescit;
nam sicut hydropicus, qui semper arescit,
crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit.
Mundus nummis deditus sequitur hunc morem,
ut tanto quis iudicet quemque digniorem,
illum quanto noverit esse ditiorem:
o nummi, nummi, vobis hunc praestat honorem.
Nullus avaritiae rebus erubescit,
ex hac vis libidinis derivata crescit;

---

48 Juven. XIV, 109.

52 Horat. Epp. I, II, 14.

60 Lucan. Phars. I, 281.

64 Juven. XIV, 139.

68 Juven. V, 136.

nam cum semel opibus dives intumescit,
inguinis et capitis quae sint discrimina nescit.
Florebant antiquitus artium doctores,
nunc acquirunt reditus auri possessores,
quia, sicut exprimunt versibus auctores:
in pretio pretium nunc est, dat census honores.
Nescit mundus compati, nescit condolere
mendicanti Paladi quae solet vigere (l. rigere);
nam si nummo careas, foris expellere,
ipse licet Musis venias comitatus, Homere.
Axis magisterii fractus est et temo,
audiri si cupiam, auditores emo;
hoc est unde conqueror, hoc est unde gemo:
nosse velint omnes, mercedem solvere nemo.
Senes avaritiae sunt imbuti felle,
odor lucri pueris dulcior est melle:
nolle pudicitiam, nummos autem velle,
hoc discunt omnes ante alpha et beta puellae.
Si recte de vitio vitium derives,
si de gestis consulas Athenarum cives,
inter actus saeculi pravos et declives
intolerabilius nihil est quam femina dives.
Hoc idcirco dixerim, ne quis sine macula
feminas existimet, quarum lingua iacula,

---

72 Juven. VI, 301.

76 Ovid. Fast. I, 217.

80 Ovid. Ars amat. II, 279.

84 Juven. VII, 157.

88 Juven. XIV, 209.

92 Juven. VI, 460.

fascinantes oculi, digiti novacula;
sed a diverticulo repetatur fabula.
Filii nobilium, dum sunt iuniores,
mittuntur in Franciam fieri doctores,
quos prece vel pretio domant corruptores,
sic praetextatos referunt Artaxata mores.
Mores habet Barbarus, Latinus et Graecus,
sic sacerdos ut plebs est, caecum ducit caecus;
se mares effeminant, et equa fit equus;
expectes ab homine hoc usque ad pecus.
Et quia non metuunt animae discrimen,
principes in habitum verterunt hoc crimen,
virum viro turpiter iungit novus hymen;
exagitata procul non intrat femina limen.

---

96 Juven. XV, 72.

100 Juven. II, 170.

108 Juven. II, 88.

II.

Super statibus ecclesiasticarum personarum.

[Wright p. 153 ff.]

Multiformis hominum fraus et iniustitia,
letalis ambitio, furtum, lenocinia,
cogunt ut sic ordiar conversus ad vitia:
quis furor, o cives, est quae tanta licentia?
Luxus, avaritia, gula, macelli,
infamis concubitus patrantis ocelli,
quicquid agunt homines animo rebelli,
gaudia, discursus, nostri est farrago libelli.
Tot sordes luxuriae, mundi tot tumultus
tot immutant species, tot assumunt vultus,
ut iam dicat aliquis animo consultus:
quo teneam nodo mutantem Prothea vultus?
Cum mundum intueor sordis fluxu mersum
et naturae penitus ordinem perversum,
et hunc a principibus in vulgus dispersum:
si natura negat facit indignatio versum.
In primis pontifices et praelatos noto;
nam iste grex hominum, canone remoto,

---

4 Lucan. Phars. I, 8.

8 Juven. I, 86.

12 Horat. Epp. I, I, 90.

16 Juven. I, 79.

totus vacat poculis, totus lucri voto
aestuat et vitae disconvenit ordine toto.
Heu! quod nugatorii praesules moderni
dici debent potius praesides Averni,
vel spretores melius iudicis aeterni,
potores bibuli media de nocte Falerni.
Dic papa, dic pontifex, spes sponsi, sponsae dos,
cur mores redarguis et sermones foedos?
cum sis peior pessimis, hoedus inter hoedos,
inter Socraticos notissima fossa cinaedos.
Roma datis opibus in tumorem crescit,
et quo plus infuderis magis intumescit;
nam sicut Horatii versus innotescit,
sincerum est nisi vas, quodcumque infundis, acescit.
Roma solvit nuptias contra nutum Dei,
pervertit iudicium, fovet partem rei;
pretiosa quaelibet famulantur ei,
India mittit ebur, molles sua thura Sabaei.
Roma metit omnia quadam falce manuum,
accipit ab omnibus, nulli reddit mutuum;
de te Roma sonuit illud non ambiguum:
alterius siccas pocula, nemo tuum.
Eligendi praesulis quotiens fit mentio,
in primis inquiritur, cum quanto marsupio
interesse poterit Romano concilio,
et ita de moribus ultima fit quaestio.

---

20 Horat. Epp. I, I, 99.

24 Horat. Epp. I, XVIII, 91.

28 Juven. II, 10.

32 Horat. Epp. I, II, 54.

36 Virg. Georg. I, 57.

Proh! si scires quanta sit vanitas claustralium,
quam durae, quam dispares vitae praecedentium;
ordo multis monachis vertitur in taedium,
et iam fere caritas refrigescit omnium.
Coenobita quilibet vivit dissolutus,
effrons, nec iam loquitur signis aut per nutus;
nam in claustris, ubi grex debet esse mutus,
vivitur ex rapto, non hospes ab hospite tutus.
Jam plus aequo satagit Martha sive Lya,
minus aequo nititur Rachel et Maria;
nulla partem eligit meliorem, quia
ieiunae deficiunt pariter in via.
Quis nunc imitator est illius Johannis,
cuius erat tegimen camelus pro pannis,
epulum silvestre mel, cuius potus amnis?
Laudamus veteres sed nostris utimur annis.
Clerus qui sors Domini vocari deberet,
hic est cui praecipue fraudis faex adhaeret;
vox ergo prophetica locum nunc haberet:
Omne caput languidum et omne cor maeret.
Qui sunt qui Ecclesiam vendunt et praedantur?
qui sunt fornicarii? qui sunt qui moechantur?
qui naturam transvolant et abominantur?
qui sunt hi? clerici, ne longe exempla petantur.
Clamabat decalogus ne quis peieraret,
ne quis adulterium furtumve patraret,

---

52 Ovid. Metam. I, 144.

60 Ovid. Fast. I, 22, 5.

64 Jesaias I, 5.

sed Naso praevaluit, a quo dictum claret:
Juppiter esse pium statuit quodcunque iuvaret.
Quid mirum, si tendimus homines ad imum?
humus humum sapere debet, limus limum;
imitemur igitur hoc dicentem mimum:
o cives, cives, quaerenda pecunia primum!
Si vis esse mundo te gratum et benignum
et ferre prae aliis triumphale signum,
si vis esse locuples, opus fac malignum,
aude aliquid brevibus Gyaris et carcere dignum.
Sed ne vos detineam per ambages multas,
fere mentes omnium, vitio sepultas,
demolitur, allicit, reddit inconsultas,
ambitus et luxus et opum metuenda facultas.

72 Ovid. Heroid. IV, 133.

76 Horat. Epp. I, I, 53.

80 Juven. I, 73.

III.

Contra Ecclesiasticos praelatos.

[Du Méril p. 160.]

Fallax est et mobilis lex humanae sortis,
nedum natis etiam spondet horam mortis,
ac peccantis ultio semper est in portis,
quia sic instituit iudex iustus, fortis.

Si quis ergo sperneret mundum male tutum,
nummorum congeriem reputans ut lutum,
conservans viriliter corpus incorruptum,
hunc plane diligeret dominus virtutum.

Sed non placet omnibus haec consuetudo,
quia placet amplius bursae plenitudo;
universos allicit cutis pulchritudo,
hodie vix aliquem decet sanctitudo.

Ubi sunt Ecclesiam in Christo regentes,
qui velint existere benefacientes?
exemplorum (l. exemploque) Levitae tantum relucentes,
ut laetentur pariter et exultent gentes?

Nil volunt solatii subditis conferre,
et, cum modo conterant totum mundum guerrae,
nolunt se pro filiis Israël offerre,
ut in pace maneant omnes fines terrae.

In bellorum turbine de Deo diffidunt,
hos norunt metuere qui corpus occidunt,
omnes in pecuniae thesauris confidunt,
assidos (assiduos) et validos debiles elidunt.

A foris suscipiunt cultum pastoralem;
numquam degustati sunt coenam spiritalem,
non habentes apud se vestem nuptialem,
agentes operibus curam mercennalem.

Isti sunt quos tumidos efficit potestas,
et quos numquam afficit pauperum egestas;
hos districti iudicis opprimet maiestas,
cuius in circuitu valida tempestas.

Omnes avaritiae coeunt caetatum (?),
ore psalmos ruminant, in corde mercatum;
nonne, dum non cogitant Domini mandatum,
eorum oratio fiet in peccatum?

Habentes in capite canos senectutis
retinent in renibus flores iuventutis;
male sibi conscii, de via virtutis
insectantur alios gladiis acutis.

Ex his esse novimus proles Adamaeos,
deas non recipere sed amare deos,
sed quotquot invenerit huius rei reos,
qui in coelis habitat irridebit eos.

Sic pascunt ut ipsimet potius pascantur,
qui vix ad humilium preces inclinantur,
et tamen sublimiter eis dominantur;
confundantur pariter et revereantur!

Qui bursae solummodo quaerunt implementum
nec Christi familiis dividunt frumentum,
qui male dominicum duplicant talentum,
veterascent miseri sicut vestimentum.

Quis Myrrhaeo praesuli similis nunc vivit?
Nam gua cuius quia guas decem acquisivit (?),
hunc ad ea Dominus praemia ascivit,
quae non vidit oculus nec auris audivit.

Paucos sibi similes nunc habet Paulinus,
et quem quondam habuit parem [patrem?] Mons Cassinus;
sed et qualis extitit pastor Midertinus (?)
vix habet consimilem Ecclesiae sinus.

Sanctulum presbyterum nolumus tacere,
qui vita pro proximo voluit carere;
sed moderni praesules hunc solum legere:
si nihil attuleris, exibis, Homere.

Magis fiunt avidi tumore bursarum,
sitim quod multiplicat fons divitiarum;
quia sic desiderant congestus earum,
ut cervus desiderat ad fontes aquarum.

Si me forsan odiunt ob hoc Pharisaei,
quod eos non taceo tantae reos rei,
cantabo suppliciter in conspectu Dei:
Ego dixi; Domine, miserere mei.

Sed ausculta Pontifex, cor habens tam caecum,
ut thesauros congreges, aestimo non aequum;
quare dicit Dominus ut iam loquar tecum:
Nonne ex denario convenisti mecum?

Audi, pastor ovium, vivere si velis,
pugnato pro Israël manibus et telis;
sis in domo Domini prudens et fidelis,
ut laudare valeas Dominum de coelis!

---

64 Ovid. Ars amat. II, 280.

68 Psalm. XLII, 2.

76 Matth. XX, 13.

IV.

Contra Ecclesiasticos iuxta visionem Apocalypsis.

[Wright p. 1.]

A tauro torrida lampade Cynthii
fundente iacula ferventis radii,
umbrosas nemoris latebras adii,
explorans gratiam lenis Favonii.
Aestivae medio diei tempore
frondosa recubans Jovis sub arbore,
adstantis video formam Pythagorae:
Deus scit, nescio, utrum in corpore.
Ipsam Pythagorae formam inspicio,
inscriptam artium schemate vario.
An extra corpus sit haec revelatio,
utrum in corpore, Deus scit, nescio.
In fronte micuit ars astrologica;
dentium seriem regit grammatica;
in lingua pulchrius vernat rethorica,
concussis aestuat in labris logica.
Est arithmetica digitis socia,
in cava musica ludit arteria;
pallens in oculis stat geometria,
quaelibet artium vernat vi propria.
Est ante ratio totius ethicae,
in tergo scriptae sunt artes mechanicae;
qui totum explicans corpus pro codice
volam exposuit et dixit: „respice“.

Manus aperuit secreta dexterae;
cumque prospexeram coepique legere,
inscriptum reperi fusco charactere:
„dux ego praevius et tu me sequere“.
Cito praelabitur quem sequi coeperam,
et dicto citius in terram alteram
simul devolvimur, qua multa videram
inter prodigia plebem innumeram.
Dum miror dubius quae sint haec agmina,
per frontes singulas traducens lumina,
vidi quorumlibet inscripta nomina,
tamquam in silice vel plumbi lamina.
Hic Priscianus est dans palmis verbera,
est Aristoteles verberans aëra;
verborum Tullius demulcet aspera;
fert Ptolemaeus se totum in sidera.
Tractat Boethius numerabilia;
metitur Euclides locorum spatia;
frequens Pythagoras circa fabrilia
trahit a malleis vocum primordia.
Lucanum video ducem bellantium,
formantem aereas muscas Virgilium,
pascentem fabulis turbas Ovidium,
nudantem satyros dicaces Persium.
Incomparabilis est status Statio,
cuius detinuit (deleniit?) res comparatio; (?)
saltat Terentius plebeius histrio;
agrestes Hippocras potat absinthio.
Dum vulgi censeo gestus innumeri,
accessit angelus praefulgens sideri,

48 Horat. Art. poet. 221. 225.

qui dixit „suspice, oculos aperi,
et vide cito quae oportet fieri“.
Suspexi celeri coelos intuitu,
et fui postea statim in spiritu
tractus per aethera miro circuitu,
coelorum positus tandem in aditu.
Sed fulgor fulguris qui circumfulserat
primos intuitus mihi reverberat;
et dixit angelus qui mecum aderat:
„Siste, videbis quae Johannes viderat“.
* „Visa conscripserat ille mysteria
septem Ecclesiis quae sunt in Asia:
tu scribes etiam, forma sed alia,
septem Ecclesiis quae sunt in Anglia“.
Dum inter dubia figor immobilis,
Quaedam intonuit tamquam volubilis
rota tonitrui, sive terribilis
vox tubae corneae vel tubae ductilis.
Vidi post sonitum pulsantem aethera
septem candelabra septemque sidera,
quae vir eximius tenebat dextera;
et dixit Angelus: „frater, considera.
Sunt haec candelabra septem Ecclesiae,
et stellae praesules; sed omnes hodie
debentes aliis instar iustitiae
ponunt sub modio lucernam gratiae“.
Post haec apposuit cum septem titulis
signatum codicem septem signaculis,
dicens: „adpicias intentis oculis
quae nota facias terrarum circulis“.
* „Est vitae praesulum Codex hic conscius,
quae per signacula videtur clarius;

nam intus clauditur detestabilius,
et laudabilia pendent exterius.“
Primi capituli quaedam potentia
signum aperuit, et animalia
prospexi quatuor, quae reddit varia
formae diversitas, gestus aequalia.
* Est primum animal leoni simile,
secundum vitulo, tertium aquilae,
et quartum homini, quodque volatile,
repletum oculis, rotis volubile.
Cum primi solvitur nexus signaculi
totius aciem luminis intuli,
detecta serie primi capituli
hunc tamen praelegens tenorem tituli.
Est leo pontifex summus qui devorat,
qui libras sitiens libros impignorat,
marcam respiciens Marcum dedecorat,
in summis navigans in nummis anchorat.
Est ille vitulus praesul, qui praevius
in loco pascuae praecurrit citius,
roditque ruminans quod novit melius,
et saginatus est bonis alterius.
Est aquila, quae sic alis innititur,
archidiaconus, qui praedo dicitur;
qui videt a longe praedam quam sequitur,
et cum circumvolat ex rapto vivitur.
Est, qui induitur humana facie,
decanus, tacitae plenus versutiae,
qui fraudes operit forma iustitiae,
piumque simplici mentitur specie.
Ista sunt quatuor alas habentia,
quia circumvolant rerum negotia;

plena sunt oculis, eo quod praevia
lucra respiciunt et subsequentia.
Incedit quilibet cum rota mobili,
dum mentis volvitur axe volubili,
et circumflectitur voto mutabili,
intusque sequitur rotam a simili.
Postquam perlegeram praemissum titulum,
subscriptum legere coepi capitulum,
quo mores didici vitamque praesulum,
qui duces populi seducunt populum.
Vae gentis miserae cornutis ducibus!
qui mactant vitulos armatis frontibus;
dum habet quilibet foenum in cornibus,
non pastor ovium sed pastus ovibus.
Non tantum cogitat ille de miseris,
de claudis ovibus, aegris vel teneris,
quantum de computo lactis et velleris;
sic ovem perditam refert in humeris.
Si vulgi viderit excessus pauculos
causatur fidei laesos articulos;
trahit ius ovium in causae tribulos,
vellens exuvias et mulgens loculos.
Errantem sequitur grex errans praevium,
quem pastor devius ducens per devium,
post lac et vellera dat carnes ovium
luporum dentibus et rostris avium.
Male sponsalium nexus in annulo
gregisque regimen pensat in baculo,
cum solo canones pendent in loculo.
Sic lecto substiti primo capitulo.

---

131 Horat. Sat. I, IV, 34.

Fit coruscatio, aer concutitur,
concursu nubium coelum accenditur,
et vox tonitrui in rota volvitur.
Ad hoc signaculum secundum solvitur.
Ecce capitulum legi de moribus
archidiaconi, qui suis faucibus
quidquid a praesulis evadit manibus
rapit et lacerat rostris et unguibus.
Hic plenus oculis sedet ad synodum,
lynx ad insidias, Janus ad commodum,
Argus ad animae scelus omnimodum,
sed Polyphemus est ad veri methodum.
* Doctorum statuit decreta millium,
quorum est pondus super ius iurium,
unum qui solverit, reus est omnium,
nisi resolverit prius marsupium.
Dum causas ventilat personis dissonis,
formans fallacias sub forma canonis,
transformat canonem in formam Simonis,
qui est Mercurius archidiaconis.
Ecclesiastica iura venalia
facit propatulo; sed venialia
cum venum dederit vacat a venia,
quam non inveniens venit (vendit?) Ecclesia.
Seductam nuncii fraude praeambuli
capit focariam, ut prae cubiculi
fortuna hauriat fortunam loculi,
et per vehiculum causam vehiculi.
Decano praecipit quod, si presbyteri
per genitivos scit dativos fieri,
accusans faciat vocatum conteri
ablatis fratribus a porta inferi. (?)

Corpus interpolat lunare Cynthium,
involvit aera caligo nubium,
concretis tenebris ad instar noctium.
Ad hoc signaculum se solvit tertium.
Et dixit Angelus: „lege quae reperis“.
Quae legens reperi de viro sceleris,
qui loca circuit venator Veneris,
auceps infamiae, piscator muneris.
Hic vir decanus est, qui viri specie
non vir sed virus est virosa sanie
in viros viribus furens malitiae,
humanum mentiens humana facie.
Decanus canis est archidiaconi,
cuius sunt canones latratus dissoni,
canens de canone discors est canoni,
datis et venditis est consors Simoni.
Decanus canis est, qui sequens praevia
nare cupidinis lucri vestigia,
inducit callide cleri marsupia
quo prius fixerat magister retia.
* Jussus dirimere lites quas suscitat
a veris profugus falsis inhabitat;
certus in dubiis, in certis dubitat,
quae pie loquitur, dolose cogitat.
Spondet auxilium danti munuscula:
sed postquam fervida rerumque bibula
corda sedaveris monetae crapula,
post datum nihil est quod laudes pocula.
Spondet auxilium, si quid contuleris;
sed si chiragricae ferventem unxeris
palmae pruriginem unguento muneris,
ibit podagrice ad opem operis.

* Iniustum promovet et iustum conterit
spretor iustitiae cum lucrum senserit;
amator Titii si ius adiunxerit,
praefectus sceleris si se removerit.
A summis aurea manus emicuit,
quae tribus digitis librum arripuit,
signumque subito solvens evanuit.
Ad hoc capitulum quartum apparuit.
Hic scriptas reperi consuetudines
officialium, raptus, voragines,
fraudes, insidias et turpitudines,
quae magni codicis excedunt margines.
Hi sunt quos retinens mundus inhorruit,
a quorum facie terra contremuit,
quos dura Rhodope cotibus genuit,
ad omnes scelerum motus exacuit.
Quantum erraverint innato scelere
vel ex officio possint officere,
quis scribet calamus scribentis propere,
quae vox, quae poterit lingua retexere?
Diffamant alios commissa levia;
hi nempe furias atque ferocia
cum exercuerint, fiunt silentia,
non murmur resonat, non querimonia.
Hi venatores et aucupes praesidis
ponunt fallacias tutis et timidis,
ignaris spicula, retia providis,
incautis laqueos et viscum callidis.
Sic saepe praesulum lucrantur camerae
mille denarios emuncto paupere;

---

227 Virg. Ecl. VIII, 43.

sed decem millia cadunt a latere,
quae numquam praesulum propinquant dexterae.
* Summo ecclesias venantur studio;
si quam extorserint, numquam fit quaestio,
si cuius nomine sit dedicatio,
sed quantum loculis infundat pensio.
Hoc suis semper est adiunctis obvium,
quo semper aliquid fit in contrarium;
hinc nomen ducitur officialium,
qui, ut officiant, habent officium.
Tum fiunt turbines et terrae motio;
vox clara intonans a coeli solio
proclamat hephata, quod est apertio;
fitque signaculi quinti solutio.
Viso prooemio perlegi folium
morum et actuum sacerdotalium,
vae! qui dedecorant rerum principium,
dum pro denario vendunt ternarium.
Divinis interest sacerdos turpiter,
divina celebrans de vino iugiter,
qui Deo crapulam adspirat, aliter
sacerdos, aliter dicendus presbyter.
Sacerdos rarius de iure poterit
dici quam presbyter qui bene dixerit;
nam tunc sacerdos est cum sacra dederit,
tunc vero presbyter cum ter praebiberit.
Peccat audacius, eo quod pessima
peccandi genera totque gravissima
discit a populo in quadragesima,
sic sua reputans mala levissima.
Abominabilis Deo vir sanguinum,
plus mortem cupiens quam vitam hominum,

unam puerperam capacem seminum
mallet quam undecim millia virginum.
Post missam presbyter relinquens infulam
in meritriculae descendit insulam;
sic fecit Juppiter, qui iuxta fabulam
coelum deseruit sequendo vitulam.
Hanc mulieribus proponit maximam,
quod rerum decima non salvat animam;
nulla salvabitur ad horam ultimam,
nisi de corpore solverit decimam.
Utque vulpeculas fovea foveat,
non causa Veneris infantes procreat,
sed ut de proprio animas habeat,
quibus quas perdidit reddere valeat.
Post haec a thalamo prodit aethereo
virago nobilis vultuque roseo,
quae librum digito dum tangit niveo,
sextum signaculum solutum video.
Istud capitulum figuris brevibus,
minutis litteris et cohaerentibus
arctisque texitur interlinearibus,
clerique plenum est crebris excessibus.
Torpens ignavia, tumens elatio,
libido sordidans, fervens ambitio,
voluptas indecens, et turpis actio
a turpi prodeunt cleri contagio.
Ecce vicario persona primitus
committit animas et iura spiritus,
sibique retinet causas et reditus,
quos audax devorat et imperterritus.
Errantem animam in plura dividens,
decem ecclesias vel plures possidens,

est male singulis subiectis praesidens,
dum adest et abest semper ut accidens.
Est suae celsius aulae fastigium
quam sit ecclesia sanctorum omnium;
suaeque pluris est puellae pallium
quam opertoria decem altarium.
Facit indagines et aedificia,
dragmas et annulos et mutatoria
de patrimonio regentis omnia,
quem stare patitur nudum ad ostia.
Commissas animas regit vicarius
ut suam propriam; nam ut liberius
amittat alias, de sua potius
perdenda cogitat ad mala praevius.
Omnis a clericis fluit enormitas:
dum Deo debeant mentes sollicitas
tractant negotia mercesque vetitas,
et rerum turpium vices indebitas.
Hic sulcat maria praecepto Domini;
hic colit nundinas credendus nemini;
hic arat socius bovis et asini:
sic sors cuiuslibet repugnat ordini.
Hic generosior tonsuram respuit;
alter ad clerici nomen erubuit;
hic, librans liberos, libros deseruit:
sic inter laicos clerus defloruit.
Ad haec Aethiopum turba cum turbine
a quodam prodiit fusco bitumine,
qui longo veniunt passim examine,
clamantes septies „Tu autem, Domine“!
Clamoris horrida voce teterrimi
dux meus tremere coepit et comprimi,

stetique corpore tamquam exanimi,
dum fit solutio sigilli septimi.
Abbatum video mores et opera,
quorum est quisque dux gregis ad infera;
in claustro mobilis, fixus in camera,
et in capitulo tamquam ephemera.
Hi mundi gaudia sprevere penitus,
quod probat passio silentis spiritus,
cordis contritio, aquarum exitus,
tonsurae vilitas, et turpis habitus.
Sed cum sit habitus illorum turpior,
in ipsis habitat Venus securior;
si male convenit tonsura celsior,
pronis ad calicem frons est liberior.
Si flentes cor habent contritum, solito
arrident calyci semper apposito;
si linguam spiritu refrenant tacito
multa convicia loquuntur digito.
Quibus prandentibus voto praecipiti
fauces celerrimae, dentes solliciti,
sepulchrum patens est guttur, par gurgiti
spumoso stomachus, et rastris digiti.
Dum coenas celebrat abbas cum fratribus,
torquentur calyces a propinantibus,
vinumque geminis extollit manibus,
et sic grandisonis exclamat vocibus:
„O quam glorifica lucerna Domini
calyx inebrians in manu strenui!
he! o! Bacche! dux sis nostro conventui,
stirpis Davidicae prole nos prolui!“
Resumens poculum tractum a Cerere
clamat: „Hunc calycem in suo genere

quem bibiturus sum, potestis bibere?“
Respondent: „possumus! ha! hi! fac propere!“
Sed ne potandi sit illa conditio,
qui tenet, teneat, donec de medio
fiat; hinc cessat lis et contradictio,
ad plenum bibitur sine litigio.
Tunc legem statuunt pactumque mutuum,
ne sit in calyce quidquam residuum:
sic sine requie ventris et manuum
vas plenum vacuant et replent vacuum.
Quisque de monacho fit daemoniacus,
et cuique monacho congarrit monachus,
ut pica picae, vel psittaco psittacus,
cui dat ingenium magister stomachus.
His mola dentium tumorem faucium,
lagena gutturis ventris diluvium,
oris aculeus dat flammas litium,
et fratrum malleus colorem noxium.
Cum inter fabulas et Bacchi pocula
modum et regulam suspendit crapula,
dicunt quod dicitur favor a fabula,
modus a modio, a gula regula.
Et sic fit ordinis crebra transgressio,
fraudes, periuria, livor, detractio,
mentis esuries, rerum distractio,
ventris ingluvies, renum concussio.
Est nullum monacho maius daemonium,
nihil avarius, nil magis varium;
qui, si quid datur, est possessor omnium,
si quidquam petitur, nil habet proprium.
Si prandet, convenit ut loqui nesciat,
ne lingua dentium opus impediat;

si bibit, expedit ut sedens hauriat,
ne pes sub pondere ventris deficiat.
Die tripudians adorat dolia,
nocte cum bipede laborat bestia;
tali discrimine, tali molestia
meretur Dei vir regna coelestia.
His mihi plenius visis et cognitis
dux meus manibus me cepit insitis,
et caput quatuor discerpens digitis,
solvit in quatuor compagem capitis.
Et ne mysteria vidissem perperam,
figens occipitis in partem teneram
rigentem stipulam siccam et asperam,
scripsit in cerebro cuncta quae videram.
His gestis deferor in summa nubium,
coelumque raptus sum usque ad tertium,
ubi mirabile vidi mysterium,
et ineffabile cuique mortalium.
Ad summi iudicis tractus concilia,
inter tot millies centena millia,
profunda didici Dei consilia,
humanis mentibus inscrutabilia.
Quae postquam noveram statim esurii,
mihique proceres magni consilii
panem papaveris proponunt, alii
Lethaei laticem propinant fluvii.
Cumque palpaveram panem papaveris,
labrisque laticem infudi miseris,
statim oblitus sum divini muneris,
nec quidquam potui nosse cum superis.

De coelo cecidi ut Cato tertius,
nec summi venio secreti nuncius,
sed meus mihi quod inscripsit socius,
hoc vobis dicere possum fidelius.
O quanta dicerem et quam mirifica
de rebus superis et sorte coelica,
nisi papaveris coena sophistica
mentis vestigia fecisset lubrica.

433 Juven. II, 40.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
10 ELMSLEY PLACE
TORONTO 5, CANADA

V.

Quod Papa sit summus et Imperator sub ipso.

Totus huius temporis ordo sive status
ab antiquae legis est fonte derivatus;
praesentis Ecclesiae tenor et ornatus
in aquis diluvii fuit figuratus.
Notatur Ecclesia mystice per arcam,
mundus per diluvium; sed ne verbis parcam,
per Noë colligimus summum patriarcham,
totius Ecclesiae caput et monarcham.
Ibi Noë manibus mundis, corde mundo
universis imperans caruit secundo;
sic cunctis praeficitur, quotquot sunt in mundo,
Papa, navigantibus nobis in profundo.
Ergo vel Ecclesiae membrum non dicatur
Caesar, vel pontifici summo supponatur;
siquidem Ecclesiae satis derogatur,
dum per illum libera mater ancillatur.
Si Caesar Roma, si Caesare Roma careret,
sancta Sion nulla pellice laesa (l. caesa) foret;
ex re nomen habet: caesurae Caesar origo,
Ecclesiae vestis Caesare caesa fuit.
Vestis inconsutilis, vestis illa Christi
unitas est fidei quam tu divisisti;
dum personam laicam Papae praetulisti,
opus inconsutile male consuisti.

Si haberet Caesar vim in electione
Romani pontificis, ex hac mixtione,
clericis cum laicis facta scissione,
privarentur clerici sua ditione.

— — — — — — —

caderetque ũus (?) sub divisione;
haec est causa in Genesis sacra lectione:
careat binarius benedictione.

Hic est pannus bicolor, haec est illa vestis,
de qua scribit Exodus, Moysesque testis:
a duobus texitur, signum cuius estis
vos, per quos haec schismata fiunt atque pestis.

Maior et antiquior est imperialis
dignitas quam cleri sic ut pontificalis;
maior dico tempore: semper enim malis
regibus subiacuit terra laicalis.

Notandus simpliciter locus a maiori,
nam Rebeccae dictum est Isaac uxori:
duos fers in utero praegnans lege thori,
sed maior ex debito serviet minori.

Imperator Esau est, maior quidem natu,
Papa quidem Jacob est, minor enim statu;
ille sceptro rutilat, iste potentatu,
ille maior viribus, iste dominatu.

Crede semen Canaan, semen Ismaëlis,
estne maior Caesare qui ligat in coelis?
respondebis forsitan, si negare velis:
malo sic incredulus esse quam fidelis.

Caesar habet gladium, sed materialem,
hunc eundem pontifex, sed spiritualem;
Caesar ergo suscipit usum temporalem
ab eo qui possidet curam pastoralem.

Papam summum nominat usus rationis
quodam privilegio dominationis;
non ergo maioris est Caesar dictionis,
vel gradus sunt quatuor comparationis.
Extra summum nihil est, ne (l. ut) loquar expresse,
et nec summo praesuli poterit par esse;
quidni (si?) constat gladium alterum deesse?
Igitur ut minor sit Caesar est necesse.
Alexander Macedo domitor terrarum
tribus vicit vicibus principem Persarum;
Alexander pontifex et dux animarum
iam ter vicit Caesarem regem tenebrarum.
Accipe per Darium hunc Imperatorem,
qui praesumpsit clericis ponere pastorem,
sed devicit pontifex schismatis auctorem,
et cum ipso potuit vincere Victorem.
Cum Victorem perdidit cathedra venalis
Paschalem substituit vis imperialis;
sed ad mortem transiit poenae iehennalis,
nam a pascha dictus est transitus paschalis.
His successit tertius, novus Antichristus,
spiritu quem destruit oris sui Christus,
nam quia Teuthonicis est iniuste mixtus
super mortis calycem gustabit Calixtus.
Igitur si vera sint ista quae promisi (l. praemisi)
nihil habet penitus Imperator, nisi
ab eo qui possidet claves paradisi,
ut Petri vicarius non est sua physi.
Surge, sedes eia quid tam diu struis?
tu, qui tam facundia quam virtute cluis?
Caesarem si liberas erroribus suis,
diffusa est gratia in labiis tuis.

VI.

Contra statum Ecclesiae depravatum.

[Wright p. 159.]

Heliconis rivulo modice respersus,
vereor ne pondere sim verborum mersus;
sed quia illabitur mundus universus,
incipe Maenalios mecum mea tibia versus.
Rhythmis dum lascivio, versus dum propino,
rodit forsan aliquis dente me canino,
quia nec afflatus sum spiritu divino,
neque labra prolui fonte caballino.
Accusator criminum iudexque sedebo
omnium quae videro fieri sub Phoebo;
vitiosus si quidem vitia delebo,
munus et officium nil scribens ipse docebo.
Dicta fuit aurea vita pristinorum,
quia nec Simonia vendicabat chorum,
nec regnabant schismata; sed vi modernorum
effodiuntur opes irritamenta malorum.
Ecce papas geminos instruxere reges,
sed cui adhaereas nescis vel quem neges;
utrobique pullulat vitiorum seges,
[Et?] missae pereunt nullo discrimine leges.

---

4 Virg. Ecl. VIII, 21.

8 Pers. Sat. prol. 1.

16 Ovid. Metam. I, 140.

Sed a Christo forsitan neuter est electus,
neuter mihi sufficit, uterque suspectus;
nescio quis horum sit obliquus vel rectus,
in diversa trahunt unum duo nomina pectus.
Suam Christus admodo vineam non fodit,
illam vorat ambitus, illam schisma rodit;
sponsa Christi coniugis iussa non custodit,
saepe etenim mulier quem coniux diligit odit.
Sponsa dicit apud se: heu! quam diu teror!
quo me rapit impetus schismatis? quo feror?
sponsum per quem meus hic relevetur moeror,
ultra promissum tempus abesse queror!
Si verum subtilius licet intueri,
iam defecit dignitas et libertas cleri;
Roma prorsus cecidit in eclipsin veri,
et si non cecidit potuit cecidisse videri.
Non erat a Caesare Papa statuendus,
sed secundum canones erat eligendus;
nam qui sic eligitur hic est reverendus,
hic ter praecipue sit pura mente colendus.
Illi, per quos haereses schismataque vici
quondam, mihi facti sunt nuper inimici;
quod cecidi, stabilis non debebam dici:
quid me felicem totiens iactastis amici?
Nemo iuste vivere novit neque pie,
pastores Ecclesiae facti sunt harpyiae;
ecce iam completum est illud Jeremiae:
iacent sancti lapides in capite viae.

---

28 Juven. VI, 510.

32 Ovid. Heroid. II, 2.

48 plateae? Jerem. Lament. IV, 1.

Mea gens antiquitus dici Nazaraea,
id est sancta, potuit, sed nunc Pharisaea;
in duo me dividunt, et, cum non sim rea,
praelati partiti sunt vestimenta mea.
Iam casura videor, quia tota nuto,
mea carent moenia gladiis et scuto;
aurum meum scoria, vilius est luto,
est (sum?) princeps provinciae facta sub tributo.
Sed ne vos detineam turbine sermonum,
mundi caput corruit, non habet patronum;
ubinam est hodie virtus Scipionum,
Marcellusque loquax et nomina vana Catonum?
Veni, coniux optime, nam hic turba Rheni,
illic me cum Gallicis lacerant Rutheni;
veni ne tardamus et maerentes (me maerentem?) leni,
nil mihi rescribas, attamen ipse veni.
Me desertam creditis forsitan ex toto?
sed sponsum ad nuptias, hoste iam remoto,
adspiciens a longe venientem noto.
Sic ait, et longo consumit gaudia voto.

---

60 Lucan. Phars. I, 313.

64 Ovid. Heroid. I, 2.

VII.

De adventu Antichristi.

Dum contemplor animo saeculi tenorem,
reproborum gaudia, proborum maerorem,
contemptum iustitiae, fidei torporem,
credo, quod non habeant saecula rectorem.

O, qui quadrupliciter iubes figurari
hylen, qui res dispares ita nexu pari
copulas, ut nequeant a se disparari:
cur permittis hominem sic denaturari?

Cum per certas methodos et leges aeternas
elementa copules lucemque discernas,
videtur, quod hominem solummodo spernas,
cuius vitam simili cura non gubernas.

Hoc dum mecum scriberem sensibus attentis,
cum de mundo loquerer eiusque portentis,
totus in suspiriis, totus in lamentis,
rapuit me spiritus in excessu mentis.

De centauris cogitans et gigantum prole,
dum curarum premerer ponderosa mole,
audivi cum cymbalis sonituque nolae
convenire daemones ab utroque sole.

Locus, ad quem furias vidi convenire,
videbatur vermibus totus scaturire,
et pestes ab inferis omnes ebullire,
quas nox gignit, quotiens libuit coire.

Affuit tergeminus ianitor silentum,
Et soror Trinacria, flebile portentum,
qui totum commaculant sanie conventum,
et loca remugiunt sibilo serpentum.
Sed non ille defuit fons elationis,
filius nequitiae et perditionis,
qui secabit saeculum gladio sermonis,
de quo palam loquitur vas electionis.
Cunctis ergo faciem prominens armata
indignatur amplius expectare fata,
verum ut tonitruum nube dissipata
vox erumpens gutture sic est interfata:
Papa, quae iam mora me tenet nasciturum?
fatum, quid me detines saeculo venturum?
pande fores, quod si me tenes extiturum
in deo Beelzebub transgrediar murum.
Iam signa iudicii cuncta contigerunt,
iam venit dissensio, iura pericrunt,
fames, pestilentiae, bella timuerunt (irruerunt?)
ipsum suum inferi minis distulerunt.
Miseranter miseror miseros Hebraeos,
qui verbis et opere se fatentur meos,
expectant ut veniam et reducam eos,
et rursus restituam in Juda Judaeos.
Alecto progredere, linque nostras aedes,
ut seras discordiam, sidera defoedes,
praedices luxuriam, castos Ganymedes
sic nullos inveniet Christus cohaeredes.
His Alecto vocibus graviter accita
fremit irae stimulis in se lacessita,
igitur prae rabie vomens aconita,
diu torquens oculos tandem coepit ita:

O decus daemonium, decor Antichriste,
proh pudor! quae tanta lis? quis tumultus iste?
principes, qui facinus operantur triste,
tui praecursores sunt et evangelistae.
Et quid quaeris alium tibi praecursorem
quam illum Britanniae perversum rectorem,
qui triplici gladio contra ius et morem
impudenter messuit sacerdotum florem?
Quid fuisse facinus dicis in Simone?
quid Neronem ventilas de seditione?
rex qui perdit praesulem in proditione
re vera neronior est ipso Nerone.
Hoc solum de praesule nobis est invisum,
quod ei martyrio caput est abscisum;
nam quem pro iustitia novimus occisum
meruisse potuit sibi paradisum.
Audito Tisiphone tonitru sororis,
desiccata sanie circa rictus oris,
praecincta velamine luctus et horroris,
quod mente conceperat eructavit foris.
Igitur dum legio serpentina strepit,
dum circa caesariem et in ora repit,
ubi toto pectore furias concepit,
haec verborum fulmine debacchari coepit:
O cui sontes animas conciare (conciere? cruciare?) licet,
usque quo te populus impotentem dicet?
dum virtus extincta sit, iaceat, mendicet,
iam non est qui vitii plantas eradicet.
Ecce cuncta subiacent tuae ditioni,
peiorantur reprobi, depravantur boni,

64 Thomas Becket † 1170. cf. Gualt. Alexandr. VII, 317 ff.

praelati cum reprobis in errorem proni
praecursores tuae sunt incarnationi.
Vides in Ecclesia nihil esse ratum,
vides in pastoribus Giezi reatum;
mundi caput schismate vides infirmatum,
vides a veritate Papam declinatum.
Fridericum Caesarem optime vidisti,
illum, per quem schismatis semina sevisti;
idcirco schismaticae genti praefecisti;
quis praecursor melius fiet Antichristi?
Hi sunt, per quos iubeo nefas esse strui
aliorum iudices perversores sui,
luto comparabiles et immundae sui,
hos adunctus (adiunctos?) facio praecursores (praecursoris?) tui.
His commota litibus mens effrena Ditis
turbata sororiae prae tumultu litis,
licet fons discordiae, licet sit immitis,
litem tamen terminat verbis expolitis:
Heu! gens implacabilis, heu! chaos austerum,
quid ad vos, disserere de secretis rerum?
mihi soli panditur, mihi pater verum,
mihi soli cognitus numerus dierum.
Ecce dies veniunt quibus homo fiam,
cum terris abstulero veritatis viam,
ut vincam miraculis Enoch et Eliam,
Rachel mihi serviet, excaecabo Liam.
Mea sunt coenobia, mei sunt claustrales,
mea sunt gymnasia, meae moniales,

---

90 II. Regg. V.

sceptra regum mea sunt, mei cardinales,
per quos res Ecclesiae facio venales.
Ite, dispergimini per anfractus mundi,
ad vos omnes trahite in centrum profundi;
caro sanctus [sic in Cod.?] sequar vos, sic enim spopondi.
At illi corripiunt fugam gemebundi.

VIII.

Domino Papae.

[Flac. Illyr. de corr. Eccl. statu p. 9. — Leyser Hist. poet. med. aevi p. 779. — Wright p. 57.]

Tanto viro locuturi
studeamus esse puri,
  sed et loqui sobrie,
carum care venerari,
et ut simus caro cari
  careamus carie.
Decet enim, et hoc unum
est inprimis opportunum,
  ut me ipsum iudicem;
homo vetus exuatur,
et vir novus induatur
  ante tantum iudicem.
Commendarem mundi mores,
sed virtutis amatores
  paucos esse doleo;
quod si pravos reprehendam,
et eis non condescendam
  bella mihi video.
Sed o iudex aequitatis,
propagator veritatis,
  lenis aura saeculi:

esto mihi in asylum,
te rectore sumsi stilum,
te duce signa tuli.
Sed quis sum, qui ausim loqui
coram tanto? quis ego? qui
sano fretus capite
rodo pravos in aperto,
vox clamantis in deserto
„rectas vias facite!“
Quid desertum nisi mundus?
Mundus quidem, sed immundus,
quia munda polluit;
se desertum dici dolet,
quia, qui vernare solet,
ecce prorsus aruit.
Qui solebat in praelatis
germinare largitatis
et pudoris flosculos:
tali partu destitutum
germen affert non virtutum
sed spinas et tribulos.
Qui sunt spinae tribulique?
qui? pastores praelatique
amatores muneris;
cum non pascant, sed pascantur:
non a pasco derivantur,
sed a pascor, pasceris.
Blandos amant et bilingues,
canes muti, tauri pingues,
gigantum fraterculi;

51 Juven. IV, 98.

qui thesauros coacervant,
non dispergunt, sed observant
ut pupillam oculi.
Omnis habens muneratur,
non habenti supplantatur
id ipsum quod habuit;
in deserto mundi huius
nemo floret, nisi cuius
bursa nondum vomuit (tabuit?).
Bursa praegnans principatur,
sapiensque conculcatur
si manus aere vacet;
nam si pauper sit, sophia
vilis erit. Quare? quia
pauper ubique iacet.
Pauper iacet, sed palpones,
quorum blandi sunt sermones,
et ipsi sunt iacula,
isti sunt quos mundus amat,
et de quibus psalmus clamat:
„beati in macula".
In macula sunt beati,
sed non sunt immaculati,
teste conscientia:
vivunt [vivit?] leno more suis,
quia in labiis suis
diffusa est gratia.
Quid dant artes nisi luctum
et laborem? vel quem fructum
fert genus et species?

72 Psalm. CXVIII, 1. Beati immaculati in via.

olim plures, nec est mirum,
provehebant „Arma virum“,
et „Fraternas acies“.
Antiquitus et studere
fructus erat, et habere
declamantes socios;
nunc in arca sepelire
nummos maius est quam scire
„Bella per Emathios“.
Opulenti solent esse
qui aptabant virgam Jesse
partui virgineo:
sive rubum visionis,
sive vellus Gedeonis
sparsum rore vitreo.
Si per aquas rubri maris
designatur salutaris
lavacri lavatio:
licet hoc sit, quod lucrum fert,
quid hoc scire mihi confert,
si sciens esurio?
Solet Christus appellari
lapis scissus de altari
non manu, sed forcipe;

---

83 Virg. Aen. init.

84 Statius Theb. init.

90 Lucan. Phars. init.

92 Jesaias XI, 1; 10.

94 Exod. III, 2.

95 Jud. VI, 37.

104 Jes. VI, 6.

hoc est notum sapienti,
sed praebendam requirenti
nemo dicit „accipe“.
Scio crucem figurari,
quando lego dulcorari
flumen apud Exodum,
manibusque cancellatis
Jacob nostrae libertatis
praesignare commodum.
In Hebraea lege legis
quod serpentem lator legis
erexit in patulo,
ut cessaret mors et tabes,
quia nostras lavit labes
Christus in patibulo.
Duo ligna Saraptenae
spiritalis escam coenae
coquunt in Ecclesia;
Abrahamque tulit ligna,
per quae digne Deo digna
cremaretur hostia.
Fudit aquam ter Elias,
et ter sanctus Jesaias
trinitatem innuit;

111 Exod. XV, 25.

112 Genes. LXVIII, 15.

117 Num. XXI, 8.

121 I. Regg. XVII, 12.

124 Genes. XXII.

127 I. Regg. XVIII, 34.

128 Jes. VI, 3.

vidit Abram trinum chorum,
Ruth in agro Judaeorum
trinitatem messuit.
Sic involvit rota rotam,
sic deponit leprae notam
lex in superficie;
sic vinciri parvipendit
Joseph, quando non attendit
vocem fornicariae.
Dumque per desertum itur,
a gentili reperitur
calens unda penitus;
quia legis in deserto
reperitur a diserto
calor sancti spiritus.
Haec scutari quidam solent,
post afflicti fame dolent
se vacasse studio;
unde multi perierunt,
et labore defecerunt
scrutantes scrutinio.
Ergo quia tot oppressis
in studendo parva messis
redditur post aspera:
ad Romani sedem patris
et ad sanctae Sion matris
sum reversus ubera.
Turpe tibi, pastor bone,
si divina lectione
spreta fiam laicus;

130 Genes. XVIII, 3.
134 Exod. IV, 6.

vel absolve clericatu,
vel fac, ut in cleri statu
perseverem clericus.
Dulcis erit mihi status,
si, praebenda muneratus
reditu vel alio,
vivam, licet non abunde,
saltem mihi detur, unde
studeam de proprio.

IX.

Gualtherus de Insula praedicans scholaribus bonis in reditu suo a curia Romana.

[Wright Anecd. lit. p. 44.]

Ut membra cohaereant invicem cum capite
gaudete in domino, diem festum agite,
hilares et sobrii cum propheta dicite:
laetare Jerusalem et conventum facite.

Ante legum dominos et magistros artium
usurpare videor doctoris officium,
ut sermonis epulo relevem ieiunium,
cum fortassis unus sim minus sapientium.
Sed quod minus habeo supple, dator omnium,
tu qui nobis factus es, Domine, refugium.

Homo quidam pater familias fecit testamentum in quo usufructum cujusdam domus pretiosae tribus haeredibus legavit.

Domus quam praediximus domus est scientiae,
quam reliquit Dominus hominis industriae
ut fructus percipiat illius prudentiae,
de qua scribit lectio libri Sapientiae.

Ordines scholarium discordes et varii,
tres sunt sapientiae facti fructuarii,
quorum quia duo sunt segnes operarii,
non reddentur singulis singuli denarii.

Primus ordo continet scholares grammaticos,
logicos et rethores atque mathematicos,

quos uno vocabulo secundum Italicos
Garamantes dicimus sive Garamanticos.
Inter artes igitur quae dicuntur trivium,
fundatrix grammatica vendicat principium,
sub hac chorus militat metrice scribentium,
quae se solam aestimat artem esse artium.
Inter quos sunt quatuor rhythmice dictantium,
qui super hoc retinent sibi privilegium,
Stephanus flos scilicet Aurelianensium,
et Petrus qui dicitur de castro Blesensium.
Istis non immerito Bertredus addicitur,
sed nec inter alios apte praetermittitur
ille, quem Castellio latere non patitur,
in cuius opusculo Alexander legitur.
Post illam quae prior est caeteris in trivio
subinfertur logica grandi supercilio,
discolor sententiis et accincta gladio,
per quam falsum resecat logicorum ratio.
Hanc doctorum asserit multiplex opinio;
sed cunctos praeradiat nova constitutio,
in qua rebus derogat Baëlardi sanctio,
attributo vocibus rerum privilegio.
Tertia subsequitur species rhetoricae,
domum sapientiae poliens mirifice;
apprehendit siquidem juncturam grammaticae,
quam postquam purgaverit sub censura logicae,
depingit coloribus et verborum murice.

---

26 Die Pariser Handschrift hat diesen Vers nicht. Das sinnlose *scholam* bei Wright änderte Du Méril l. l. p. 151 richtig in *solam*.

29ff. — cf. Du Méril p. 151. not. 3. 4.

Sequitur quadrivium, id est mathematica,
eadem quae dicitur a quibusdam logica,
quae singula trutinans lance philosophica
de naturis disputat et de rerum physica.
Hic igitur artium felix septenarius
factus est scientiae quasi fructuarius;
sed labor nec utilis nec est necessarius,
immo voluntarius sive voluptarius.
Quid tibi grammatica studioso parta labore,
quid confert logica quae certat laudis amore?
quid fert rhethorica vernante superba lepore?
quem referunt fructum versus nugaeve canorae?
talia non sapiunt viri sapientis in ore.
Esto secundus Atlas, dicas quo sidere frugis
defectum patiatur ager, quis frugifer annus,
unde nives producat hiems, quae veris in ortu
temperies impinguat humum, cur ardeat aestas,
cur legat autumnus praegnantes ebrius uvas;
circulus an possit quadrari, an musica formet
coelestes modulos, dicas quis sidera septem
impetus obliquo rapiat contraria mundo,
quot distent a se gradibus, quae stella nocivum
impediat saevire senem, quo sidere fiat
obice propitius, Martem quis temperet ignis.
Parva loquor, claudas totum sub pectore coelum:

61—72 Der Dichter entlehnte diese Stelle, mit einigen Aenderungen, seiner Alexandreis III, 142 ff.

65 Alex. III, 146: quis dedit autumno maturis (l. calcandis) cingier uvis.

67 Alex. l. l. Caelestes modulos vel quanta proportio rerum
Quatuor inter se, novit quis sidera septem

finge quod hoc scieris, sed et his maiora, quid ad rem?
Tam cito descieris haec omnia quae nihil ad rem.
Transeamus igitur ad imperatorias
sanctiones principum, quae fraudes et alias
in domo scientiae prohibent iniurias:
hos labores dixeris, si recte definias,
vel impensas utiles vel non necessarias.
Bonum tamen arbitror scire iuris apicem;
sed si iuxta domini voluntatem iudicem,
nihil mihi proderit scire totum codicem,
dum nil boni proferam ante tantum iudicem.
Si damnum prosequitur datum lex Aquilia,
si quartam de singulis resecat Falcidia,
quid reportat commodi talis observantia,
per quam non interius resecantur vitia?
O quam felix studium, quam felices operae,
si possemus legibus in aeternum vivere;
sed cum regum videas corpora putrescere,
qui iuris aenigmata studuerunt solvere,
cur noctis vigilias consumis hoc opere?
Si super his liceat breviter concludere,
vanum est scholaribus ante lucem surgere,
* cum nil boni percipiant de eorum opere.
Verum si lex Moysi, quae divina dicitur,
nil perfectum attulit, a maiori sequitur
quod nulla perfectio legis intelligitur,
quam Romanos principes promulgasse legitur.

---

84 Tit. Inst. de lege Aquilia IV, 3; Dig. ad leg. Aquil. IX, 2.

85 Tit. Inst. de lege Falcidia II, 22; Dig. ad leg. Falcid. XXXV, 2.

95 Fehlt in der Pariser Handschrift.

Sed nulla facultas est quae cor magis alliget,
quam ista, cum pelagus paupertatis mitiget;
seminat grammatica, semper tamen indiget,
lex autem et physica manipulos colliget.
Sed licet haerentes extirpet physica morbos,
et nitidam reddat potio sumpta cutem:
si diamargariton diuturnet munera vita
nec sinat in fatum plures abire dies;
si pretiosa tuus consumat edulia venter,
et gula cauponum sorbeat inde merum;
quid prodest status exterior, si sordeat intus
languidus et vitii febre sepultus homo?
Si videas legista tuos vernare penates,
purpura si latus et digitos involvat achates,
clara licet proles, licet uxor in aure susurret,
naturam expellas furca tamen usque recurret.
Procedamus igitur ad ordinem tertium,
id est ad theologos, quorum felix studium,
qui divinis mancipant artibus ingenium,
hi sunt imbres coelici, dulce stillicidium;
praeconantur aeternum illius praeconium,
cuius laus perficitur ex ore infantium.
Haec est sapientia de qua prius dixeram,
duas habens species, spiritum et literam;
litera mortificat, sed secundum alteram
invenitur caritas quae non agit perperam.
Satis quidem rudis est et satis inconditus
intellectus literae, si non sit expositus;
sed si velis literam sugere medullitus,
balsamum reperies et mel sancti spiritus.

115 Horat. Epp. I, X, 24.

122 ff. fehlen in der Pariser Handschrift.

Iuxta ripam fluminis denegantis poculum
sitivisse legimus Israël insedulum;
sed amaritudines fluminis per baculum
dulcoravit Moyses, computant (l. compotavit) populum.
Haec sunt verba literae, sed haec expositio:
amara vel aspera fuit legis lectio;
sed minas, quas intulit illa superstitio,
suae Christus expulit crucis beneficio,
dum mortales oculos caligantes vitio
lavit agnus proprii sanguinis collutio.
Panis quam (quo, quem?) se voluit Elias reficere,
sub favilla legitur coctus a muliere.
Quod si vis cum Jonatha mel de quercu sugere,
panis de quo loquitur conditus subemere (?)
spiritalis sensus est sub favilla literae.
Isto pane pascitur fidelis Ecclesia,
hunc panem conficiunt sacerdotis labia,
dum se transsubstantiat terrena substantia
in illam quam peperit mater viri nescia;
hic est cibus animae, dulcis eucharistia,
quem in crucis clibano vera coxit hostia.
Joseph ut se liberet ab amplexu feminae
evasisse legitur relicto velamine,
quia salva penitus et illaeso numine
passa est humanitas assumpta de virgine.
Non enim divinitas incomprehensibilis,
qui cum patre filius manet invisibilis,

130 cf. oben VIII, 110.

139 Giebt es ein Wort *collutium?*

140 cf. oben VIII, 119.

142 I. Samuel. XIV, 26.

crucifigi potuit, sed caro passibilis,
in qua factor factus est et excelsus humilis.
Sed inter miracula testamenti veteris
istud est mirabile et mirandum prae caeteris,
quod, ut secum (sese?) redimat a dolore carceris,
se ipsum incarcerat fabricator aetheris.

X.

Oratio „Miserere mei Deus“ rhythmice composita a Gualthero de Insula iuxta sermonem et ordinem psalmi, ipso infirmo ad mortem exeunte.

Dum Gualtherus aegrotaret,
et aegrotans cogitaret
quod ad vitae terminum
vocaretur a potente,
metu mortis imminente
invocavit Dominum:
Miserere mei Deus,
quia miser, quia reus,
delictorum oneri
atque iugo subiugatus,
ad te clamat epulatus
in fermento veteri.
Miserere mei Deus,
luctus, clamor, dolor meus
ad te, Christe, veniat!
Audi flentem peccatorem,
dum non habet redemptorem,
nec qui salvum faciat.

---

10 Psalm. L.

Et secundum caritatis
et immensae pietatis
tuae multitudinem
pravos actus et enormes
in me delens, me reformes
tuam ad imaginem.
Ampliori mentem meam
a delicto lavans, eam
et perfundens gratia
sic emundes, ut peccati
per contemptum perpetrati
nulla sint vestigia.
Quoniam iniquitatem
et corruptae vetustatem
mentis in me fateor,
cumque vertam statum mentis
contra mentem, imminentis
hostis vim intueor.
Auctor pacis et virtutis,
qui me iugum servitutis
huius pati pateris,
adsis mihi spes salutis,
et delicta iuventutis
meae ne memineris.
Vitam aufert et virtutem
fallax equs (?) ad salutem,
pronus ad illicitum;
nec a malo resipiscit,
dum quod amat concupiscit
caro contra spiritum.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
59 QUEEN'S PARK
TORONTO 5, CANADA

Tibi soli sic peccavi,
quod me solum accusavi,
iustus ut in omnibus
esse iudex iudiceris;
vincas, ut iustificeris
tuis in sermonibus.
Ecce enim cum peccatis
in hànc vallem paupertatis
culpa generantium
esse meum properavit,
in utroque declinavit
liberum arbitrium.
Ecce cuncta cognovisti,
veritatem dilexisti,
qui per tuam gratiam,
ne declinem per consensum,
tribuisti mihi sensum
et intelligentiam.
Adsperges me coeli rore,
rigans mentem pleniore
lucis tuae radio;
ut cum tui recordabor
super nivem dealbabor
relegato vitio.
Auditui meo dabis,
cum ad vitam revocabis,
salutare gaudium;
fac oriri solem tuum,
ut perducat lumen suum
sicut sidus radium.

Avertatur a delictis,
tam a factis quam a dictis
meis tua facies;
sic reatus auferatur,
ut omnino deleatur
criminum pernicies.
Cor et mentem meam munda,
ne sit turpis et immunda
labe conscientiae;
fac ut semper innovetur,
innovata fecundetur
rore tuae gratiae.
Ne proiicias prostantem,
otiosum diu stantem;
sed ad vitae vesperam
vitis verae fac cultorem,
ut sim vigil ad laborem,
operi dans operam.
Redde mihi iam salutem,
ut per tuam sit virtutem
mihi culpae terminus;
et confirmes sic in ea,
ut sit fortitudo mea
et laus mea Dominus.
Docens ergo tuam viam,
ut te solum Deum sciam
in aeternum vivere,
verba tua confitebor,
et in ipsis exercebor
corde, voce, opere.

Liberator salutaris,
qui compescit fluctus maris
tumescentis, fluctibus
liberare me dignetur,
paxque sola dominetur
meis in visceribus.
Domine, labia mea
ut sit tibi laus per ea
iugiter aperias,
ut de petra durae mentis
aquam fontis et torrentis
inundare facias.
Quoniam evacuato
holocausto pro peccato,
quae sunt turbae veteris,
te quaeramus mente pura,
legis autem in figura
tu non delectaberis.
Sacramentum purae mentis
et perfecte poenitentis
Dei sacrificium;
cor contritum numquam spernis,
sed benigno vultu cernis,
porrigens solatium.
Bone Deus et benigne,
tu, quem tui quaerent digne
per virtutum semitas,
fac ut semper exaltetur
et ut in te delectetur
sancta Sion civitas.

Tunc tu vere delectaris,
tunc oblatum acceptabis
sacramentum gratiae,
ut eamus iter tutum,
quia Dominus salutum
ipse est rex gloriae.
Gloria, laus patri Deo,
filioque sit cum eo,
sit et sacro flamini;
sicut erat ab aeterno
gloriosum in superno
magnum nomen Domini. — Amen.

Hofbuchdruckerei der Gebr. Jänecke in Hannover.

- Zehn
r ed) # 5230

Wesley Chamberlain —

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
10 ELMSLEY PLACE
TORONTO 5, CANADA.

5230